



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

20. Quomodo Satyrus D. Ambrosii frater Eucharistiam collo appensam habens, in naufragio incolumis seruatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

D. Ambrosius in oratione funebri 1. de obitu Satyri fratris sui. Satyrus Ambrosij frater Eucharistiam collo appensam habens, in naufragio incolumis seruatur.

CAP. XX.

Quid igitur obseruantiam eius erga Deum cultum prædicem. Qui priusquam perfectioribus esset initiatus mysterijs, in naufragio constitutus, cum ea, qua veheretur, nauis scopuloso illisa vado, & vrgētibus hinc inde fluctibus solueretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterij exiret à vita, quos initiatos esse cognouerat, ab his diuinum illud fidelium sacramentum poposcit: non vt curiosos oculos infereret arcanis, sed vt fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit collo, atque ita se deiecit in mare, non requirens de nauis compage resoluta tabulam, cui supernatans inuaretur, quoniam fidei solius arma quaesierat. Itaque his se tectum atque munitum satis credens, alia auxilia non desiderauit. Simul fortitudinem eius spectare licet, qui fatiscente remigio non quasi naufragus tabulam sumpserit, sed quasi fortis ex seipso adminiculum suæ virtutis assumpserit. Nec deseruit spes, nec fefellit opinio. Denique primus seruatus ex vndis, & in portum terrenæ stationis euectus, præsulem suum, cui se crediderat recognouit, statimque vbi etiam ceteros seruos suos, vel ipse liberauit, vel liberatos cōperit,

neg-

negligens facultatem, nec amissa desiderans
Dei Ecclesiam requisivit, ut ageret gratias li-
beratus, & mysteria aeterna cognosceret, pro-
nunciando, nullum referenda gratiae maius esse
officium.

*Ex vitis sanctorum Patrum, contigit au-
tem circa annum Domini 392. & citatur à
Ioanne Gavetio in consensu vniuersalis Ec-
clesiae de veritate corporis Christi in Eucha-
ristia Centenario 4. De Eucharistia in pu-
erulum mutata, itemque in carnem san-
guine cruentatam, propter quendam incre-
dulum.*

CAP. XXI.

Dixit Arsemias de quodam sene in Sciti,
qui erat magnus in hac vita, simplex au-
tem in fide, & errabat, quia idiota erat,
& dicebat non esse naturaliter corpus Christi
panem consecratum, quem sumimus, sed fi-
guram eius. Hoc audientes duo senes, illum
dicere hunc sermonem, & scientes quia mag-
na esset vita eius & cōuersatio, cogitauerunt,
quod innocenter & simpliciter hoc diceret,
venerunt ad illum & dicunt ei: Audiuius
Abba sermonem cuiusdam infidelis, qui di-
cit: quia panis, quem in sacra communione
sumimus, non est naturaliter corpus Christi
secundum veritatem, sed figura eius. Senex au-
tem respondit eis. Ego sum, qui illud dixi. Illi
autem rogabant eum, dicentes: Non sic credas
Abba, sed sicut Ecclesia Catholica tradit. Nos

*Lib. de prou-
dentia 2. con-
templatione.*

*Huius mira-
culi meminit
Guimundus
lib. 3. de
Eucharistia.*